

DIGRESSIO HISTORICA.

Quid senserit & docerit Joannes XXII. circa tempus glorificationis Sanctorum?

Ad Art. 3. Præcedentis Dissert.

Huno SS. Pont. docuisse animas justorum, corporibus solutis & plenè purgatas, non fructibus facili Dei visione antè generale iudicium, multorum est opinio. An ita sit, inquirimus. Itaque dico: Jo. XXII. in eam quidem propendit vehementer sententiam, quòd SS. anime ad extremum usque iudicium facili Dei visione non fruuntur. Eam tamen assertivè non docuisse, probabile est: certum est autem, eam ut fidei dogma ab omnibus credendum non definitivè.

Prima pars a nemine negatur, & facillè prob. 1. Ex Odo-rico Raynaldo, Auct. cœvo, qui refert ex Biblioth. Vatic. ad ann. 1331. Jo. XXII. in tribus sermonibus habitis, scilicet in festo omn. SS. 3. D. Adv. & in vigilia Epiphaniæ, hanc sententiam dogmatizatum esse (quod tamen fecit, non asserendo, sed recitando, ut dicemus modò.) Insuper idem refert ex regesto ipsius Jo. XXII. ipsum sæpius in Curia coram Cardinalibus hanc opinionem in utramque partem ventilasse, ad inquirendam veritatem.

2. Ex Continuatore Chronici Guillelmi Nangii, Auctore cœvo, qui ad ann. 1333. dicit: Hoc anno prædicatio, quam Dominus Papa debuit prædicare, in qua publicè, ut ferebatur, dixerat, quòd anime decedentium in gratia non vident Deum, nec suum perfectè beatè usque post resurrectionem corporum, &c.

3. Idem Continuator ibidem. Gobelinus Persona in Cosdro- mii ætate 6. c. 71. Paulus Langius Citizensis Monachus in Chronico Cœnobi sui referunt, quòd Joannes Papa incarcerari iussit Thomam Valas Anglum, Ordinis Prædic. insignem Theologum, eò quòd prædicasset publicè Avenione contra hanc Pape opinionem. Insuper Albertus Kranzius l. 8. Wandaliæ c. 16. sic ait: Hoc erat illud tempus, quo sub Joanne eius nominis XXII. scindebatur. Ecclesia de visione separatarum animarum: cum nonnulli ex Fratibus Minoribus pertinaciter tuerentur illam differri usque ad novissimum diem, quibus multum videbatur inherere Pontifex. Sed Fratres ex adverso Prædicatores docebant, &c. Undè illud Ludovici Bavari Imperatoris, alias nostro Ordini infensi, quòd contra ejus schisma partibus Pontificis adhereremus: Ordo Fratrum Prædicatorum est ordo veritatis, qua intrepidè ac liberè contra errores quantumvis potentes, adverso pectore tuetur. Ita refert Bzovius ad ann. 1333. ex antiquioribus & probatis Authoribus. Tandem patet ista pars ex omnibus Authoribus cœvis & aliis, qui hac de re scripserunt, & ex Congregationibus habitis hac de re in Sal- tu Vincennarum auctoritate Philippi Regis Franciæ.

Prob. 2. pars ex ipsius Joannis XXII. protestatione facta coram Cardinalibus ann. 1334. 3. Januarii, quam refert Benedictus XII. ejus successor in Diplomate, quod ex MS. Vaticano refert Odo-ricus Raynaldus: Protestamur expressè, inquit, quòd, quidquid in questione seu materia visionis animarum... diximus, allegavimus, seu proposuimus, non intendent ali- quid determinare, vel decidere, seu credere, quòd esset quovis modo Scripturæ sacræ obitum vel contrarium orthodoxæ fidei, sed illud solum tenere & credere, quòd & Scripturæ sacræ potest, & poterat Catholicæ Fidei convenire. Et si fors in præ- dictis sermonibus vel colationibus aliqua, que vel Scripturæ sacræ, seu Fidei Orthodoxæ quovis modo essent vel viderentur obvia, ipsa præter intentionem a nobis fuisse prolata dici- mus & asserimus, eaque revocamus expressè, non intendent illis adherere, nec ea in præsentem defendere, nec etiam in futurum.

2. Ex alia protestatione ejusdem Joannis, quam 3. Decembris ejusdem anni, morti proximis, fecit coram Cardinalibus & Prælatibus convocatis, & quam Benedictus XII. præfatio suo Diplomati etiam inseruit: Ne super iis, inquit, que de ani- marum purgatis, separatis a corporibus, an eorum resumptionem corporum divinam essentiam, illa visione, videlicet, quam vocat Apostolus factalem, videant, tam per nos, quam nonnullos alios in præsentia nostra recitando & allegando sacram Scripturam, ac originalia & dicta Sanctorum, vel aliis ratio- cinando sapienter dicta sunt, aliter quam per nos dicta & intellecta fuerant, intelligantur... Ecce nostram intentionem &c. deinde se credere profiteretur, quòd anime separate & purgate videant Deum clarè facie ad faciem; & si quid ipsi contrarium ex- ciderit, expressè revocat.

3. Ex Ep. ipsius Joannis XXII. ad Philippum Franciæ Regem, quam ex Vaticano Codice exscripsit Odo-ricus Raynaldus ad ann. 1333. num. 46. in qua sic habet: Cum autem hanc

questionem Beat. us. Ang. in scriptis suis reperit valde dubiam... & nedum ipse, sed & multi Doctores circa istam materiam variant; propter hoc, ut veritas possit melius aperiri. Nos interdum in nostris sermonibus mentionem habuimus, non proferendo verbum de nostro capite, sed dicta Scripturæ sacræ, & Sanctorum... multique tam Cardinalibus, quàm alii coram nobis & alibi in suis sermonibus pro & contra de illa materia sunt locuti... ut sic possit plenius inveniri veritas... utinam filii vellet audire, que in nostris sermonibus diximus, Regia Celstudo, et unum verbum de capite nostro nos non protulisse reperies, sed que Christus, vel Apostoli, vel SS. Patres, et Doctores Ecclesiæ protulerunt. Et postea negat in eadem Ep. quòd miserit generalem Ministrum Miroriarum Parisios, ut leberetur, ad astruendam illam sententiam; sed rogat, ut cuilibet permit- tat dicere in hac re quid verius existimaverit, donec fuerit ordinatum per Sedem Apostolicam.

4. Ex instrumento cœtis Prælatorum & Doctorem habit in Sal- tu Vincennarum auctoritate Regis, in quo sic habent: Adverentesque, quod multorum fide dignorum relatione audi- vimus, quòd, quidquid in hac materia sua Sanctitas dicit, non asserendo, seu opinando, sed solummodo recitando. Hujus instrumenti autographum in scriiis Theolog. Facult. Parisiensis & in Archivo majoris Conventus FF. Pr. Parisios servari testatur Nat. Alex. sæc. 13. & 14. Dissert. 11. quod totum ex- cribit.

Prob. 3. Pars 1. ex dictis in probationem 2. partis 2. ex Benedicto XII. Bulla Benedictus Deus, in qua sic loquitur SS. Pontifex: Cumque idem prædecessor noster, ad quem prædicto- rum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum hujusmodi se pararet, in Consistorio suo publicè tam fratribus suis & R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam Prælatibus & Magistris in Theologia, qui multi aderant præ- sentes, injungendo districtius & mandando, ut super materia de visione prædicta, quamòd requirentur ab eo, deliberatè diceret unusquisque quòd sentiret: tamen morte præventus, si- cut Domino placuit, perficere illud nequivit. Adde, quòd ipse Joannes XXII. in Diplomate Canonizationis S. Thom. Aquinatis dicit, ipsum in perpetuas æternitates receptum in patria, ejus animam calum possidere, & in celestibus agnitionibus positum Deum glorificare.

Obj. contra 2. partem conclusionis testimonium Gersonis, Adriani VI. & Guillelmi Okami Minoritæ, referentium Joannem XXII. hunc errorem docuisse, & propugnasse: ergo, R. Majorem fidem adhibendam esse probationibus nostris ex ipso Joanne & Benedicto XII. Authoribusque coavis, quàm Gersoni & Adriano posterioribus, qui ex rumoribus, non ex accu- rata historiæ discussione, talia protulerunt. Okamo verò Lu- dovici Bavari stipendiario, Joannis XXII. hosti, homini schis- matico, multò nimis credendum est.

Inst. 1. Ex dictis in probationem 1. partis, Joannes XXII. hunc errorem in tribus concionibus dogmatizavit: ergo, R. Dogmatizavit, id est, exposuit recitando, quid Scriptura, quid Patres in favorem talis sententiæ dicerent, C. id est, docuit ut veram & asseruit, N. Solutio patet ex probationibus 2. partis conclusionis.

Inst. 2. Ex dictis ibidem, jussit incarcerari & vexari, qui sententiam contrariam docerent & prædicarent: ergo, R. D. Ant. Jussit incarcerari, qui docerent sententiam contrariam, præcisè quia illam docerent & prædicarent, N. cum ipse per- miserit in utramque partem ventilari in sua præsentia, ut patet ex dictis, & unicuique libertatem reliquerit promendi quid de hac re sentirent, atque petierit eam dari a Rege Franciæ Doctoribus Parisiensibus. Quia illam docerent ut de fide, & contra sententias anathemate configerent antè definitionem Ec- clesiæ, C. sic enim concionatus fuerat Thom. Valas. Quis au- tèm horum excesserit, an prædicator sic concionando, an Pon- tifici incarcerando? Favent Concionatori, quòd præjudicata vi- detur jam fuisse hæc sententia in formulis fidei, quas Græci præscripserant Clem. IV. & Joann. XXI. in quibus habebatur animas purgatas mox in calum recipi, ut refert Odo-ricus. Et opinionem contrariam Parisiensis Doctores, a Rege Philippo Va- lesio interrogati, responderunt falsam & hæreticam esse. Et Du- randus Episcopus Meldensis in libello ad ipsum Joann. XXII. di- xerat, esse errorem Scripturæ sacræ, auctoritatis totius Ecclesiæ ac sinceritati fidei contrarium, ut reverà in se erat, sicut patuit ex definitionibus posterioris Conc. Flor. quòd non novum arti- culum fidei condidit, sed doctrinam ex traditione acceptam cla- rius exposuit, ac confirmavit.

Inst. 3. Jo. XXII. in duabus Fidei declarationibus datis ann. 1334. de quibus supra, expressè revocat, que prius dixerat in materia visionis beatificæ. Idemque testantur Bened. XII. & Odo-ricus Raynaldus: ergo erroneè senserat, & docerant. R. D. A. expressè revocat absolutè, N. conditionatè, C. si nem- pe aliquid contrarium Fidei dixerit. Verba ejus sunt: Si verb

alia

alia vel aliter circa materiam hujus visionis per nos dicta, præ- dicata, seu scripta fuerunt... ea revocamus expressè. Nihil autem dixerat, prædicaverat, seu scripserat nisi recitando & allegando ad inquirendam veritatem, ut ipsemet protesta- tur in utraque declaratione, & in literis ad Regem Christia- nissimum. Id eodem sensu locuti sunt Bened. XII. & Raynal- dus, Declarationes Jo. XXII. referentes.

Inst. 4. Philippus Valesius Rex Christianissimus in literis ad Jo. XXII. datis, minatus est illi rogam, ni revocaret sen- tentiam de dilatione visionis beatificæ: Et manda, quòd il se re- vocat, ut quòd il se ferat arde. Ita refert Petrus de Alliaco Card. & Archiep. Camerac. in oratione habita coram Rege Carolo VI. Ergo hunc errorem docebat & asserbat. R. 1. Petrus de Allia- co, qui ferat hæc dixisse 70. ann. post obitum Jo. XXII. verosimi- lius deceptum fuisse, & applicuisse Jo. XXII. minas, quas Rex

Philippus intontaverat Ministro generali FF. Min. qui hanc sen- tentiam de dilatione visionis beatæ usque ad generale iudicium publicè prædicaverat Parisiis, cum plurium offensione & scanda- lo. Id conj. 1. Ex silentio Auct. cœvorum, qui istarum minarum contra Pontif. non meminerunt. 2. Ex literis Jo. XXII. ad Re- gem Philippum datis, in quibus conqueritur de minis, ut fama ferebat, a Rege intentatis contra Religiosos & sæculares; de mi- nis autem contra se intentatis nullam mentionem facit. 3. Ex cen- sorio Decr. Doct. Paris. quo significabant Regi, ex multorum fe- de dignorum relatione, quòd, quidquid Sanctitas sua dixit in hac materia, non asserendo, seu opinando, protulit: sed solum- modo recitando. R. 2. Dato Regem Philippum reverà sic minaci- ter scripsisse SS. Pontifici, id fecit fama mendaci deceptus. Et hæc sufficiant ad probabilitatem sententiæ nostræ astruendam; non enim illam ut certò veram asserimus.

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

D. Thom. a Quæst. 6. ad 21.

Ab soluto Tractatu de ultimo fine hominis, (Hic quæst. 6. in præm.) sequitur, ut agamus de actibus, quibus illum ultimam finem assequamur, aut ab eo removeamur. Et hi sunt actus humani, explicuimus in Tract. præced. Dissert. 1. art. 2. De his in particulari partim egimus in 2. 2. dùm de virtutibus Cardinalibus. De his autem in communi hic est agendum. Et quia actus humani sunt voluntarii, hunc præsentem Tractatum a Voluntario, & Involuntario ordimur. Undè sit

DISSERTATIO I.

DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO.

D. Th. Quæst. 6.

ARTICULUS I.

Quid, & quatuorplex sit Voluntarium?

Dico 1. Voluntarium rectè definitur: Quod est a principio in- trinseco cum cognitione finis. Ita communitè cum Auctore (Ibid. art. 1. o.) post Aristotelem; Greg. Nyss. Damascen. & alios. Quòd autem quidam dicunt: cum cognitione singula- rium, in quibus operatio consistit, non significat quòd necessa- riò debeant cognosci omnes omnino circumstantiæ, sed quòd hæc cognitio sit practica.

Explicatur definitio. (Ibid.) Nomen voluntarii importat, quòd actus & motus sit a propria inclinatione & appetitu illius, qui movetur & agit, consequenter quòd sit perfectè a principio intrinseco; quòd enim est a principio extrinseco, non est ab in- clinatione. Duplex autem potest esse principium intrinsecum motus, scilicet efficiens & finale: omne enim agens agit, & move- tur propter finem, ut dictum est Dissert. 1. Tract. præced. Undè illa perfectè moveatur a principio intrinseco, in quibus est principium intrinsecum efficiens & finale, ut non solum movean- tur, sed ut moveantur in finem: finis autem non movet, nisi ut est in apprehensione, seu cognitione. Quocumque ergo sic agit, vel movetur a principio intrinseco, quòd habet aliquam cognitionem finis, habet in se principium sui actus efficiens & finale, non solum ut agat, sed etiam ut agat propter finem, & ideò ejus motus sunt perfectè ab intrinseco, consequenter volun- tarii: hæc autem duo complectitur definitio tradita. Et quia in- ter appetitus elicitos, qui moventur & diriguntur a fine, princi- palior est voluntas, hi motus dicuntur voluntarii a principali appetitu; quamvis tamen per principium intrinsecum in defini- tione intelligatur quivis appetitus elicitus, sive rationalis, sive sensitivus tantum.

Itur per primas particulas definitionis Voluntarium distin- guitur a Violento, cujus principium est extra; item a volito simpliciter, quòd non procedit ab aliquo influxu voluntatis, sed est ejus objectum, & terminus extrinsecè denominatus a volitione: sic pluvia est volita ab agricola, non ipsi voluntaria. Per ultimas particulas distinguitur a motu naturali; quia, licet motus naturalis sit a principio intrinseco efficiente, non tamen est a principio intrinseco finali, seu non est cum cognitione finis, ut patet in motibus vegetativis, & in motu gravium, & levium

in centrum. Undè hujusmodi non dicuntur se movere in finem, sed moveri ab alio cognoscente, a quo eis imprimitur principium suæ motionis in finem. Item per has particulas excluduntur a ratione voluntarii actus intellectus prævententes actum voluntatis, & ab ea non imperati; quia, licet sint a principio intrinseco effi- ciente, non tamen supponunt cognitionem finis, a qua cau- santur. Si dicas, cognitionem conclusionum causarum esse cog- nitionem principiorum, R. Quòd causetur ex cognitione principio- rum ut inferente, & in ratione veri, non ut movente & allien- te, seu in ratione boni & finis. Dùm autem dicitur in defini- tione, cum cognitione finis, intelligitur in sensu formali de fine ut movente, & allienante in ratione boni, quòd competit tan- tum voluntati.

Dico 2. (Ibid. art. 2. o.) Voluntarium dividitur 1. in per- fectum & imperfectum. Perfectum est, quòd procedit ex perfecta cognitione finis; imperfectum, quòd procedit ex imperfecta cognitione finis. Cùm enim duo concurrant ad voluntarium, scilicet principium intrinsecum & cognitio finis, perfectio prop- ria voluntarii, per quam distinguitur a naturali, non potest repeti a principio intrinseco, in quo convenit cum naturali; ergo a sola cognitione finis, per quam distinguitur a naturali.

Hinc sequitur, (Ibid.) voluntarium perfectum soli naturæ ratio- nali competere; imperfectum brutis: quia perfecta cognitio habetur, quando non solum apprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio, & dignitas finis, & proportio medio- rum ad finem; & talis cognitio cùm sit collativa & discursiva, soli intellectuali naturæ competit. Imperfecta autem cognitio finis est, quæ in sola apprehensione rei, quæ finis est, consistit, absque eo quòd cognoscatur ratio & dignitas finis, & pro- portio mediorum ad finem; & talis cognitio finis reperitur in brutis per sensum, & æstimationem naturalem: ergo voluntarium imperfectum convenit brutis, perfectum soli naturæ rationali nec tamen omnibus ejus actibus, sed iis solum, qui cum plena cognitione, & advertentia procedunt; undè motus subitanei, motus puerorum, semiamentium, semidormientium, non sunt nisi imperfectè voluntarii.

Petes, utrum voluntarium conveniat univoce bruto & homi- ni? R. Probabilius affirmativè: quia conveniunt univoce in ra- tione generica cognoscitivi: ergo & in ratione voluntarii. Patet Conseq. quia voluntarium procedit ab appetitu juxta modum cognitionis, ut dictum est. Prob. Ant. Homo & brutum conveniunt

niunt univoce in ratione animalis; animal autem est sensibile; consequenter cognoscitivum, sentire enim est cognoscere: ergo homo, & brutum conveniunt univoce in ratione generica cognoscitivi. Itaque, sicut homo, & brutum ratione differentia, specificae praecellat bruto, convenit tamen cum illo univoce in genere animalis. Ita voluntarium perfectum hominis, licet ratione differentia specificae, scilicet perfectioris cognitionis, praecellat voluntario imperfecto bruti, convenit tamen cum illo in ratione generica voluntarii.

Dices: Voluntarium dicitur a voluntate; atqui non est voluntas in brutis: ergo. R. ex dictis D. Maj. Voluntarium dicitur a voluntate tanquam a quo nomen imponitur, ut a principaliore in genere appetitus, C. Maj. Tanquam a re significata, N. Maj. Non enim voluntarium solam voluntatem significat, sed generaliter omnem appetitum elicitem. Vel aliter, D. Maj. Voluntarium dicitur a voluntate specificae sumpta pro solo appetitu rationali, N. generice sumpta, prout abstracta a rationali vel irrationali, & solum significat appetitum elicitem cognitione regulatum, C.

2. Dividitur voluntarium in necessarium & liberum. Liberum est, quod procedit ab appetitu cum iudicio indifferenti, & potentia ad oppositum, ut in homine cum plena advertentia agente circa bona creata. Necessarium, quod procedit ab appetitu cum iudicio determinato ad unum sine potentia ad oppositum, ut in brutis & motibus humanis praeventibus deliberationem rationis. Utrum voluntarium liberum coincidat cum voluntario perfecto, dicam Art. seq.

3. Dividitur in voluntarium in se, & voluntarium in causa. Voluntarium in se est, quicquid procedit per se a voluntate expresso actu id volente; seu omnis actus, qui per se intenditur, elicitor, imperator, vel positive admittitur a voluntate, ut si deliberat odisti inimicum, vis occidere, occidi imperas, volentem occidere positive consentis. Dicitur etiam voluntarium indirectum, expressum, & explicitum. Voluntarium in causa est id, quod in se immediate non intenditur, elicitor, vel imperatur a voluntate, sequitur tamen ex aliquo per se & in se volito, & ideo censetur volitum in alio tanquam in causa: sic rixae sunt voluntaria in causa illi, qui se deliberat inebriat sciens se in ebrietate passim rixari, licet aliunde rixas in se detestetur. Dicitur etiam voluntarium indirectum, imperfectum, & interpretativum.

Ad hoc voluntarium indirectum, seu in causa, Theologi communiter requirunt tres condiciones. 1. est, ut effectus fuerit praevius, aut debuerit ac potuerit humano modo praevideri securus ex tali causa; cuius defectu ebrietas non est indirecte voluntaria illi, qui ignorans vim vini, & bibens ad saturationem, inebriatur, ut accidit Noe. 2. quod possit. 3. quod debeat auferre hanc causam, & hunc effectum impedire; si enim nulla lege teneat hanc causam amovere, sed e contra habeat iustam rationem illam ponendi, non est cur mihi imputetur, saltem moraliter, quod ex illa contra meam intentionem sequitur. Hinc motus inordinati non imputantur ut voluntarii Confessario, vel Chirurgo, cum isti non teneantur ideo omittere suam ministerium, sed e contra iustam habeant causam illud exercendi.

Quandam autem quis tenetur omittere seu auferre causam, ex qua sequitur malus effectus? Quae soluti difficilis in praxi propter diversitatem casuum occurrentium; pro qua videnda sunt, quae dixi in Tract. de Jure & Justitia Dissert. 8. art. 13. §. 6. concl. 2. & aliis locis ibidem cit. praesertim Tract. de Temperantia Dissert. 6. & art. 12. in praenotamiis, ex quibus haec pauca repeto. Ut dignoscatur, quando debeat vel non debeat omitti, seu auferri causa propter malum effectum ex ea sive per se, sive per accidens secutum, debet comparari malus effectus cum bono, & simul pensari, quantum sit influxus causae in effectum malum; ita ut si causa per se & proxime influat in effectum malum, & iste praeponderet bono effectui, sit gravis obligatio omittendi, aut auferendi causam: nulla vero, si bonus effectus praeponderet, aut saltem aequivalet malo, qua ratione diximus non esse necessario omittendam iustam defensionem, ex qua proxime sequitur mors iniusti invasoris; quia vita innocens praeponderat, aut saltem aequivalet vite nocentis nec debet attendi damnatio, quam incurrit iniustus invasor, quia haec non sequitur ex iusta invasi defensione, sed ex malitia invadentis, quam deponere penes ipsum est.

Si vero causa remota & leviter influat in effectum malum, & ex ea etiam sequatur aliquis bonus effectus; quamvis praeponderet, aut non aequivalet malo, non est obligatio auferendi causam; quia minor ratio requiritur ad ponendam causam leviter tantum, & remota influentem in malum, quam si gravior, & proxime influeret. Hinc non tenentur abstinere a colloquio honesto, & utili propter motus inde exurgentes. Si vero causa leviter & remota influens si in se venialiter mala, aut ex ea nullus sequatur bonus effectus, erit tunc obligatio illam auferendi, sed levis & sub veniali tantum, nisi in hoc & praecedenti casu agatur de gravi damno proximi: quia ista obligatio

estimanda est juxta quantitatem influxus causae; cum enim effectus non sit voluntarius nisi in causa, & leviter ac remota contineatur in causa, leviter est in ea voluntarius, adeoque ad levem culpam imputabilis, & ulterius levis obligatio auferendi causam ob illum effectum. Hinc tenentur sub veniali abstinere a conversatione honesta, sed inutili, vel a lectione curiosa, ex qua praevides secutos motus inordinatos, idque non solum ratione ipsius causae, quae jam est in se venialis, sed etiam ratione ipsius effectus. Dixi pro his duabus ultimis assertionibus, nisi effectus malus sit in grave damnum proximi; tunc enim foret gravis obligatio amovendi causam, quia charitas jubet nos non solum non causare malum proximo, sed etiam, in quantum commode possumus, illud impedire.

4. Dividitur voluntarium in voluntarium positivum, & voluntarium negativum. Auctor vocat directum & indirectum. (Hic art. 3. o.) Voluntarium positivum, seu directum est, quod a voluntate per realem influxum procedit, ut sunt omnes actus elicit per imperati a voluntate. Voluntarium negativum, seu indirectum non procedit quidem a voluntate per realem influxum, ab ea tamen dependet, unde dicitur ab ea negativè procedere, ut omissio Missae in eo, qui advertens ad instantem ejus celebrationem studio se accingit, absque eo quod actu positivo dicat: nolo audire.

Haec sunt communiores voluntarii divisiones, quaedam aliae occurrunt in sequentibus.

ARTICULUS II.

Utrum voluntarium perfectum sit idem, quod liberum?

Afirmat P. Vasquez cum paucis. Non equidem negat, necessarium posse esse voluntarium; nullus enim id indicatur, cum voluntarium communiter dividitur in liberum & necessarium; sed negat voluntarium necessarium posse esse perfectum, contenditque solum voluntarium liberum esse voluntarium perfectum, innixus, ut putat, auctoritati S. Thom. Fatemur equidem, voluntarium necessarium ex imperfectione cognitionis, ut in brutis, pueris, motibus subitanis, esse imperfectum; at negamus de voluntario necessario ex perfecta & perfectiori cognitione, qualis est amor, quo Deus seipsum diligit, & spirat Spiritum sanctum, & amor, quo Beati ipsum diligunt in Patria. Unde

Dico: Voluntarium perfectum ex perfectione cognitionis non est idem, quod liberum. Prob. 1. ex S. Thom. quem nobis proponit Vasquez. S. Doctor. 1. p. q. 82. art. 2. ad 1. dicit: *Necessitas naturalis non auferit libertatem* (scilicet spontaneitatem, & ut ita dicam voluntarietatem) *sed necessitas coactionis*. Q. 22. de verit. 2. art. 5. ad 2. in Respons. ad argum. *sed contra: non pertinet ad impotentiam voluntatis, si naturali inclinatione de necessitate in aliquo feratur, sed ad eius virtutem: sicut grave tantum est virtuosius, quando majori necessitate deorsum fertur: pertinet autem ad eius infirmitatem, si ab alio cogretur*. Et ad 4. *necessitas naturalis non repugnat dignitati voluntatis, sed sola necessitas coactionis*: ergo secundum D. Thom. voluntarium perfectum in nullo minuitur ex hoc, quod sit necessarium, & ex naturali inclinatione, quia non est necessitas coactionis, & tanto magis erit intimum & perfectum, quanto magis naturale.

Probatur 2. Ratione: Amor beatificus est necessarius, ut probavimus Tractat. praecedenti; atqui tamen est perfectus, & perfectius voluntarius, quam actus liber: ergo. Probatur Min. Amor beatificus procedit a principio maxime intrinseco, scilicet a voluntate, toto corde, & toto affectu & conatu Deum amante, & est cum perfectissima cognitione, nempe clara Dei visione perfectissime influente in eum amorem, & totam universalitatem intellectus & voluntatis adaequante: ergo.

Idem argumentum fieri potest de amore necessario, quo Deus seipsum diligit & producit Spiritum sanctum. Absurdum namque foret imaginari, Deum minori inclinatione, & imperfectiori cognitione seipsum diligere, quam creaturas, quas liberè amat. Confirmatur: Amor est essentialiter voluntarius; nihil enim aliud est amor, quam inclinatio elicit in objectum amatum, non coeco impetu, sed cum cognitione influente: ergo, ubi est amor perfectus & perfectior, ibi est voluntarium perfectum & perfectius. Subsumo; atqui Deus seipsum amore perfecte, quantumvis necessario, diligit, quam creaturas: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Th. hic art. 2. o. dicit, quod *perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam, prout scilicet apprehenso sine aliquo potest, deliberans de fine & de his, quae sunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri*: ergo juxta S. Thom. perfectum voluntarium est liberum. Ibi-

Ibidem ad 3. dicit, quod *laus & vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam rationem voluntarii*. Laus autem & vituperium non sequuntur nisi actus liberis. Et 1. part. q. 41. a. 2. docet, actus notiones non esse voluntarios, quia sunt naturales, & necessarii: & ad 3. quod *Spiritus sanctus procedit naturaliter, quamvis per modum voluntatis*: ergo.

R. Ad 1. S. Thomam his verbis, *perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium secundum rationem perfectam*, tradere totam rationem voluntarii perfecti; in sequentibus autem cum addit: *prout scilicet apprehenso sine aliquo potest deliberans de fine & de his, quae sunt ad finem, moveri in finem, & non moveri*, ponit exemplum voluntarii perfecti in eo, quod est nobis notius, scilicet in actu libero; ita ut sensus ejus sit: Voluntarium perfectum sequitur cognitionem perfectam, ut patet in eo, qui, sine perfecte cognito, potest deliberans moveri, vel non moveri. Hunc esse sensum S. Doctoris, constat ex his, quae immediate subjungit de voluntario imperfecto: *Imperfectam autem cognitionem finis, inquit, sequitur voluntarium secundum rationem imperfectam, prout scilicet apprehendens finem non deliberat, sed subito movetur in ipsum*. Sicut enim haec ultima verba, *prout apprehendens finem non deliberat, sed subito movetur in ipsum*, profert non ut rationem, sed ut exemplum voluntarii imperfecti; non enim omne voluntarium imperfectum est motus subitus, ut patet in brutis, quae non semper subito sed lente, & paulatim procedunt; ita in prioribus verbis, *prout scilicet apprehenso sine, &c.* non ratione voluntarii perfecti profert, sed exemplum.

Circa id, quod dicit S. Thom. quod *aliquis potest deliberare de fine moveri vel non moveri in finem*, quidam patiuntur difficultatem, eo quod deliberatio videatur esse de mediis tantum, & non de fine. Sed respondendum est, posse esse deliberationem etiam de fine duplici modo. 1. Potest esse deliberatio de fine formaliter, & in communi quoad exercitium actus; potest enim actu explicito amari, & non amari, amari hoc actus, vel alio. 2. Potest esse deliberatio de fine materialiter sumpto, quamvis enim omnes appetant bene esse; in qua re tamen invenitur ista beatitudo, multi dubitant, an in divitiis, an in voluptatibus, an in Deo? Et de hoc potest esse deliberatio. Alterutro autem sensu loquitur S. Thomas.

Ad secundum R. Laudem, & vituperium sequi voluntarium perfectum, sed non omne; est enim id voluntario perfecto proximum 2. modo quod convenit soli, sed non omni. Voluntario autem perfecto, sed necessario, ut est amor beatificus, non convenit laus formaliter, sed eminenter, scilicet gloria, quae est laus in praemio, & omnis laudis consummatio.

Ad tertium R. S. Thom. 1. loco citato loqui tantum de generatione filii, quae cum non sit a voluntate principiante, sed comitante tantum, non est voluntaria, ut explicuimus in Tract. de Trinitate Dissert. 6. art. 2. Dicit autem, Spiritum sanctum procedere naturaliter, quia procedit a voluntate, non ut libera est, sed ut est natura; voluntas autem, ut est natura, non est appetitus innatus coeco impetu procedens, ut lapis in centrum, sed appetitus elicitus ex cognitione influente, ut patet in amore beatifico, quod exemplum adfert S. Thom. proinde, quod procedit ex ipsa voluntate ut natura est, non est equidivum liberum, sed tamen est voluntarium. Imò S. Doctor q. 10. de pot. art. 2. probat, Spiritum sanctum non procedere per modum naturae, sed per modum voluntatis, quia essentialiter supponit processionem Verbi per intellectum. Confer, quae dixi loco citato de Trinitate. Insuper S. Thom. non raro sumit voluntarium pro libero, quia Ariani dicebant Filium procedere a Patre voluntarie, sicut ab eo procedunt creaturae, id est, liberè: unde, dum negat, agens contra Arianos locis citatis, actus notiones esse voluntarios, intelligit liberos, ad sensum scilicet Ariatorum. Tandem, quid ex his locis in sui favorem eruant Adversarii, non satis video. S. Thom. secundum ipsos negat actus notiones esse voluntarios, quia sunt necessarii, & tamen ipsi admittunt actus necessarios esse voluntarios, quamvis non ita perfectè.

Obj. 2. Voluntarium liberum magis procedit ab intrinseco & ex perfectiori cognitione, quam voluntarium necessarium: ergo est perfectius. Patet consequentia ex definitione voluntarii, Prob. prima pars Ant. In voluntario libero voluntas magis se movet, & minus movetur ab extrinseco, quam in voluntario necessario: in isto enim voluntas movetur impetu, seu inclinatione ab auctore naturae vel gratiae impressa, in illo vero seipsam excitat, & reprimat, quando vult: ergo. Prob. secunda pars Ant. In voluntario libero cognitio non solum proponit objectum, sed etiam ipsam operationem, an sit exercenda vel non: in voluntario autem necessario, ut in amore beatifico proponit tantum objectum, non convenientiam operationis, quae est necessaria: ergo. R. N. Ant. Ad probat. D. Ant. In voluntario libero magis se movet voluntas, quam in voluntario necessario ex imperfectione cognitionis & coactione iudicii, ut in brutis & Theol. Billuart. Pars Secunda.

motibus subitanis; C. Ant. Quam involuntario necessario ex perfectione cognitionis. N. Ant. Hoc ipso enim quod bonum magis clarè & magis perfecte cognoscitur, voluntas majori inclinatione & majori conatu in illud fertur: ita ut, si sit summum & universale bonum clarè & in se cognitum, totam universalitatem & capacitatem voluntatis implet & adaequans, voluntas necessario id illud toto affectu & conatu tendat; secus, cum objectum limitatum sub indifferentia proponitur. Neque refert, quod inclinatio naturalis sit ab Auctore naturae; quia, inquit S. Thomas, (Hic art. 1. ad 2.) licet sit de ratione voluntarii, quod sit a principio intrinseco, non est tamen de ejus ratione, quod principium intrinsecum sit primum principium.

Ad 2. probationem Ant. N. 2. partem. In amore enim beatifico non solum per visionem Dei proponitur bonitas divina, sed etiam ipsius amor ut exercendus, non quidem cum indifferentia, sed cum plenitudine totius boni, & adaequatione universalitatis voluntatis.

Inst. 1. Actus liber est perfectior necessario: ergo voluntarium liberum est perfectius necessario. R. D. Ant. Actus liber est perfectior necessario ex imperfectione cognitionis & coactione iudicii, C. Ant. Est perfectior necessario ex perfectione cognitionis & adaequatione ac repletionem totius indifferentiae & capacitatis voluntatis, N. Ant. Sic enim est eminenter liber, cum adaequet indifferentiam & universalitatem, ex qua oritur libertas circa bona limitata.

Inst. 2. Voluntarium liberum supponit necessarium etiam in Beatis; prior enim est amor necessarius finis, scilicet Dei, quam amor liber mediorum & eorum, quae amantur propter Deum: ergo voluntarium liberum superaddit necessarium. Subsumo; atqui non addit aliquem defectum, aut diminutionem: ergo perfectionem. R. eadem semper solutione, D. Subsumptum. Voluntarium liberum non superaddit aliquem defectum voluntario necessario, si necessitas oriatur ex imperfectione cognitionis & coactione iudicii ad unum, C. Tunc enim tollit istam coactionem & habet majorem universalitatem. Si necessitas oriatur ex plenitudine & adaequatione totius indifferentiae & universalitatis, quae est in voluntate, N. Tunc enim, cum voluntarium liberum habeat maiorem universalitatem in modo procedendi, quam voluntarium necessarium, non perfectionem, sed imperfectionem superaddit. Unde huiusmodi voluntarium necessarium praecedit liberum, non ut quid potentiale ordinatum ad perfectivum, sed ut illud eminenter continens.

Inst. 3. Amor beatificus non est actus humanus: ergo minus proprius homini ut homo est, & ut distinguitur a bruto: ergo est magis imperfecte voluntarius, quam actus liber & humanus. R. D. Ant. Amor beatificus non est actus humanus formaliter, C. Eminenter, N. Ideo enim actus nostri liberi sunt humani & morales, quia dirigi possunt per regulam rationis, quae potest illis applicari, vel non applicari. At amor beatificus est intime & inseparabiliter conjunctus regulae, ideoque est humanus & moralis eminentiori modo, & remotis imperfectionibus.

ARTICULUS III.

Utrum voluntarium possit esse absque omni actu?

Questio est de voluntario negativo, seu indirecto, ut vocat hic S. Doct. (Hic art. 3. o.) quale inveniri potest in omissione, seu effectu ad illam secuto. De voluntario enim positivo & directo, certum est, quod non possit esse sine omni actu, cum sit ab agente per influxum positivum.

Dico: Omissio potest esse indirecte voluntaria absque omni actu voluntatis, qui sit de essentiali ejus ratione; non potest tamen esse sine actu, qui sit causa vel occasio ejus. (Ibid. & inf. q. 71. art. 5. o.)

Rem exemplo accipe. Cæcus v. gr. ex suo essentiali conceptu non importa actum, sed est mera privatio; non potest tamen esse in individuo & a parte rei sine aliquo actu alterante oculum, qui sit causa illius: sic omissio voluntaria ex suo essentiali conceptu non importa actum, est enim mera privatio; non potest tamen esse voluntaria in individuo & a parte rei sine aliquo actu, qui sit causa vel occasio illius, ita ut actus requiratur non ex parte operis, sed ex parte operantis, ut patebit ex probationibus. Utramque partem conclusionis expressit S. Th. q. 71. cit. his verbis: *Si in peccato omissionis consideretur illud, quod per se pertinet ad rationem peccati sic... aliquando est omissio absque omni actu tunc exteriori, quam interiori... si vero in peccato omissionis intelligantur etiam causa vel occasio omittendi, sic necesse est in peccato omissionis esse aliquem actum*. Idem repetit q. 2. de malo art. 1.

Prob. 1. pars. (Hic cit. in arg. 2. c.) Dum quis non vult, aut non agit, quod posset & deberet velle aut agere, nullus ibi est actus essentialiter constitutivus hujus non voluntatis, aut

non actionis, sed est mera privatio volitionis aut actionis; atqui tamen istud non velle, aut non agere est voluntarium indirecte: ergo. Prob. Min. Illud est voluntarium saltem indirecte, cuius domini sumus; atqui domini sumus eius, quod est agere & non agere, velle & non velle; quia potestas voluntatis non solum est contrarietas ad velle hoc, vel oppositum, facere hoc, vel oppositum, sed etiam contrarietas ad velle & non velle: ad facere & non facere; ergo, sicut velle & facere est voluntarium, ita & non velle & non facere; cum hoc tamen discrimine, quod velle & facere procedat a voluntate directe per influxum passivum, non velle & non agere negative & indirecte, eo nempe modo, quo negationes procedere possunt. Confirmatur: Dum quis instante celebratione Missae in die festo sciens se somno dat, nullus ibi reperitur actus essentialiter constitutus huius omissionis Missae; atqui tamen est voluntaria, est enim peccaminosa: ergo.

Prob. 2. pars. Illud est voluntarium, ut modo dicebam ex Auctore, cuius domini sumus, ita ut voluntarium actu habeatur per exercitium libertatis; atqui non potest dari exercitium libertatis absque aliquo actu voluntatis: ergo non potest dari voluntarium, seu ommissio voluntaria in individuo sine actu voluntatis, non quidem, ut dictum est, ratione operis, sed ratione operantis; seu, quod idem est, non qui sit illi omissioni essentialis, sed qui sit causa seu occasio illius. Prob. Min. Voluntas ut libera est potentia vitalis, & libertas est modus quidam vitalitatis, sicut risibilitas est passio rationalis: unde, sicut non potest dari risibile non rationale, ita non potest dari liberum non vitale; atqui non datur exercitium vitalitatis sine aliquo motu, seu per suspensionem omnis motus; vivere enim est actu se movere: ergo.

Confirmatur 1. Aliud est voluntarium in potentia, aliud voluntarium in actu. Voluntarium in potentia est illud, ad quod potentia non est determinata, sed indifferens: voluntarium in actu est id, ad quod potentia est determinata; atqui voluntas non determinatur sine actu aut motu, per determinationem eam intrinsecè mutatur, alioquin remanet indifferens, ut ante: ergo. Confirmatur. 2. Proposito objecto per intellectum, vel voluntas se determinat ad velle vel nolle; & tunc est aliquis actus volitionis aut nolitionis; vel se determinat ad suspendendum omnem actum volitionis & nolitionis, & sic est etiam aliquis actus, quia ista determinatio ad suspensionem fit per aliquem actum; est enim voluntas ex se potentia indifferens ad suspendendum vel non suspendendum, sicut ad agendum vel non agendum: Vel tandem nullo modo se determinat, sed manet ut ante in pura indifferencia ad velle vel nolle, ad suspendendum vel non suspendendum; & sic non est exercitium libertatis, sed manet potentia veluti mortua, nec ex ea potest esse voluntarium nisi in actu primo. Confirmatur tandem ab experientia: Quicumque omittit voluntariè aliquem actum, puta, auditionem Sacri, dum advertit instare tempus audiendi, omittit, vel quia vult positivè omittere, & tunc ommissio est directè voluntaria, vel quia sine tali volitione directà facit aliquem actum incompossibilem cum auditione Sacri, v. gr. iudit, studet, dormit, manet domi otiosus, &c. ergo non datur ommissio voluntaria in individuo sine aliquo actu precedente vel concomitante, qui sit causa vel occasio eius. Et nota, per actiones in subiecta materia nos non intelligere tantum actiones propriè dictas, ut scribere, ludere, &c. sed etiam, quae actionis similitudinem habent, & sunt termini actionum saltem volitionis, ut dormire, sedere, manere domi, &c.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. ex S. Thom. S. Doctor in 4. d. 35. q. 1. art. 3. expressè docet, ad omissionem voluntariam nullum omnino requiri actum, etiam qui sit causa vel occasio illius: ergo. R. cum Gonet post Salmantic. S. Thomam hic q. 71. clt. & q. 2. de malo art. 1. reformasse, quod in Sentent. dixerat. Etenim, cum in sententiis utramque opinionem extremam, quae suo tempore circumferbatur, retulisset, quantum una indispensabiliter requirebat actum ad omissionem voluntariam, altera negabat actum nullo modo requiri, absolutè primam rejicit, & adhaeret secundae. Hic autem q. 71. & q. 2. de malo cit. cum etiam utramque opinionem retulisset, neutram ex toto rejicit vel admittit, sed media via incidit. Cum prima concedit requiri ad omissionem voluntariam actum ut causam, quod secunda negabat. Cum secunda verò negat hunc actum esse de essentia omissionis voluntariae, quod affirmabant quidam ex assertoribus primae sententiae; sique manifestum est ipsum reformasse, quod in sententiis dixerat.

Inst. S. Thom. hic q. 71. art. 5. postquam retulit utramque opinionem, de qua in solutione precedenti, sic concludit articulum: Unde verius dici potest, quod aliquod peccatum possit esse absque omni actu. R. Ex ipso textu Auctoris manifestum

tum esse ipsum loqui de actu, qui sit essentialis omissioni. Cur autem dicit finaliter verius dici posse, quod peccatum omissionis possit esse absque omni actu, ipse aperte explicat ibidem; quia scilicet actus, quem requirit tanquam causam vel occasionem omissionis, se habet per accidens ad peccatum omissionis: ommissio enim, v. gr. Missae indirectè voluntaria ex studio est praeter intentionem formalem & directam studentis; quod autem est praeter intentionem dicitur esse per accidens: & cum iudicium de rebus dandum est secundum illud, quod est per se, & non secundum illud, quod est per accidens; ideo verius dici potest, quod aliquod peccatum possit esse absque omni actu: alioquin etiam ad essentiam aliorum peccatorum actualium pertinerent actus & occasiones circumstantes. Ita in terminis S. Doctor, ita ut mirum sit haec nobis objici.

Repones: Sententia, quae requirebat actum ad omissionem voluntariam, non requirebat illum ut essentialem omissioni; nullus enim id opinari potuit, cum ommissio sit purè earentia, & non ens; sed requirebat dumtaxat actum ut causam, vel occasionem illius omissionis: ergo secundum datam explicationem S. Thom. in nullo recedit ab ista sententia, quod tamen expressam ejus declarationem in cit. art. 5. R. N. Ant. Nam teste Serra in hunc art. 5. q. 71. Alensis, & alii tenuerunt actum esse de essentia peccati omissionis. Vel D. Ant. Ista sententia non requirebat ad omissionem actum, qui sit de ejus essentia tanquam praedictum essentiale in ratione omissionis praecisè, C. Ant. Tanquam aliquod completum essentialiter illam in ratione voluntarii, N. Ant.

Replicabis: Ut ommissio sit voluntaria, sufficit juxta S. Thom. hic q. 6. art. 3. & communiter, quod quis possit facere, & non faciat; unde dicitur: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi*; atqui ibi nullus actus involvitur: ergo. R. D. Maj. Sufficit, quod quis possit facere & non faciat, quantum est ex parte operis, C. Maj. Quantum est ex parte operantis, N. Maj. Seu, quod idem est, sufficit, quod possit facere & non faciat voluntate se determinante ad non faciendum, C. Secus, N. Ommissio itaque voluntaria, si secundum speciem & essentiam spectetur, cum sit privatio actus & non ens, nullum importat actum. At, si consideratur in individuo & ex parte operantis, non potest esse illi voluntaria nisi per exercitium suae libertatis, & quatenus se determinat ad non ponendum actum: Exercitium autem libertatis & determinatio non potest esse sine aliquo actu, ut probabimus.

Obj. 2. Instante praecocepto v. gr. dilectionis Dei, & posita advertentia ad ejus obligationem, voluntas potest suspendere omnem actum circa illius observantiam, vel non observantiam; atqui illa ommissio erit voluntaria, quia erit peccaminosa: ergo potest dari ommissio voluntaria absque omni omnino actu. Prob. Maj. Voluntas ex se ad nullum actum est determinata, sed est quoad exercitium libera respectu cuiuscumque actus: ergo. R. N. Maj. Ad probat. D. Ant. Voluntas est libera respectu cuiuscumque actus divisivè, hoc est, potest hunc vel illum ponere vel omittere, ita ut nullus sit in particulari, qui non possit ponere vel omittere, C. Ant. Est libera respectu cuiuscumque actus collectivè, ita ut ab omni omnino actu simul cessare possit, N. Ant. Neque id requiritur ad libertatem, quin imò id ipsam perimeret, cum sine actu exerceri non possit, ut dixi: sufficit ergo ad libertatem, quod nullus sit actus in particulari, quem non possit ponere aut omittere, ad aliquem tamen vagè & indeterminatè necessitatur, alioquin remaneret quasi mortua & libera tantum in actu primo.

Inst. Si, instante dicto praecocepto dilectionis Dei, Deus denegaret concursum suum ad quemlibet alium actum, homo posset adhuc praecoceptum illud omittere, quia illud liberè adimpleret, & mereretur adimplere; atqui ista ommissio foret absque ullo prorsus actu, cum sine Dei concursu nullus actus poni possit: ergo. R. D. Maj. Homo in hac hypothese posset omittere praecoceptum omissione physica & naturali, C. Omissionem voluntaria & morali, N. Quia, sublato omni actu, voluntas non potest se determinare, nec esse libera in actu. 2. Unde in hac hypothese homo mereretur amando Deum, sed non posset peccare non amando: sicut dixi ex Auctore de Angelis, Angelos in primo instanti potuisse mereri, non tamen peccare.

Dices: Quod ommissio sit mala, non provenit ex actu, qui est causa vel occasio eius: ergo nec, quod sit voluntaria. R. D. Ant. Quod ommissio sit mala objective, non provenit ex actu, &c. C. Quod sit mala in exercitio, N. Eo enim est mala in exercitio, quo est voluntaria & libera: est autem voluntaria & libera per actum voluntatis se ad illam determinantis.

ARTICULUS IV.

Utrum ommissio, & effectus ex ea secutus, sint voluntarii sine praecocepto ponendi actum, qui omittitur?

Nota 1. Quaestio non est de omissione directè voluntaria, quando nempe actu omittens vult actu positivè omittere: facit enim omnes, quod tunc non requiritur praecoceptum, seu obligatio ponendi actum, qui omittitur, ut ommissio sit voluntaria; quia tunc voluntas directè, & positivè terminatur ad illum. Sed quaestio est de omissione indirectè voluntaria, quando scilicet aliquis advertens ponit aliquem actum incompossibilem cum actu, qui omittitur, v. gr. quis, dictante iudicio practico, Missam mox celebrandam, & posse audiri, eligit manere domi, vel ludere, aut studere, absque eo tamen, quod dicat: volo omittere Missam.

Nota 2. esse distinguendum inter omissionem culpabilem, & voluntariam: iterum enim omnes concedunt, & omissionem, & effectum ex ea secutum non esse culpabiles absque praecocepto ponendi actum, qui omittitur; quia non est peccatum, nisi sit contra aliquam legem: solum ergo est quaestio de voluntarietate, tam omissionis, quam effectus ex ea secuti.

Sit itaque casus: Video duos rixantes, quos absolute possum impedire, sed non sine periculo propriae vitae; unde fit, quod nulla sit mihi obligatio impediendi; domi manens, & rebus meis intentus non impedio, & ex hac omissione sequitur mors unius. Queritur, utrum tam ommissio impediendi, quam mors inde secuta sint mihi, non dico imputabiles ad culpam, sed voluntaria. Quidam negant tam de omissione, quam de effectu secuto. Ita Gonet. post Cajet. Seram, & alios. Alii affirmant de omissione, negant de effectu secuto: Ita Joannes a S. Thom. Sylvius, Contensonus, & communiter; cum quibus

Dico 1. Ut ommissio sit voluntaria, non requiritur praecoceptum, seu obligatio ponendi actum, qui omittitur. Prob. ratione fundamentali. Voluntarium est a principio intrinseco cum cognitione finis; atqui, secluso praecocepto ponendi actum, qui omittitur, ejus ommissio est a principio intrinseco cum cognitione finis: ergo. Prob. Min. 1. Supponimus intellectum advertere ad id, quod omittitur, alias foret mera oblivio, ut ommissio negativa. 2. Ista ommissio pendet a voluntate, ut ponatur, vel non ponatur. 3. Voluntas elicit advertentem aliquem actum cum actu omisso incompossibilem, per quem libertas actu exercetur, & ex quo sequitur ommissio: ergo, secluso praecocepto, ommissio est a principio intrinseco cum cognitione finis, consequenter voluntaria indirectè, eo scilicet modo, quo ommissio potest a voluntate procedere. Respondet Gonet in Manuali negando Min. quam tamen invicte probatam puto. Ideo autem negat; quia, inquit, secluso praecocepto, ommissio non potest causari ut privatio; & hoc est ferme unicum suae opinionis fundamentum, quod in solutione objectionum evitemus.

Confirmatur 1. Qui omittit liberè, omittit voluntariè; atqui, qui studio intentus omittit Missam die feriali, non minus liberè omittit, quam die festo: ergo. Respondet Gonet. cum, qui omittit Missam die feriali, non omittit liberè in actu 2. sed in actu 1. tantum, & in potentia; quia, inquit, libertas non est exercita. Sed contra: libertas est exercita die festo per actuale studium incompossibile cum auditione Missae: quidni die feriali? Et sanè videtur pugnare cum sensu communi, quod quis die festo omittat Missam liberè actu, & non omittat liberè actu die festo, iisdem utrimque stantibus circumstantiis intrinsecis; praecoceptum enim est quid extrinsecum libertati actuali. Unde

Confirmatur 2. Praecoceptum nullo modo concurrendum ad rationem voluntarii in omissione, sed impertinenter se habet ad illam: ergo independenter a praecocepto ommissio potest esse voluntaria. Prob. Ant. Duo concurrunt ad voluntarium, scilicet principium intrinsecum, & cognitio finis; atqui praecoceptum non est quid intrinsecum voluntati omittentis, sed ab extrinseco proveniens, & voluntarium supponens ac dirigens, non causans, neque ingerit seu auget cognitionem omissionis seu actus omitti, sed obligationis tantum: ergo. Respondet Gonet. semper ex eodem principio, praecoceptum concurrere ad voluntarium ut conditionem, sine qua ommissio non esset privatio. De quo in sol. obj.

Prob. 2. Conclusio a posteriori. Multae sunt omissiones voluntariae indirectè actum, non praecoceptorum: sic v. gr. qui studio vel orationi vacans omittit calefactionem, vel recreationem, vel aliquam aliam commoditatem licitam, sed non praecoceptam, non per volitionem directam illarum omissionum, sed ex electione voluntaria studii vel orationis eo tempore, vel ea occasione, qua posset licitè his commoditatibus frui: has, inquam, omissiones esse indirectè voluntarias, nemo, puto, invidiabit, cum sint meritorie: ergo palam est, posse dari omissionem voluntariam indirectè absque praecocepto.

Theol. Billuart. Pars Secunda.

Dico 2. Effectus consequens, seu concomitans omissionem non est voluntarius absque obligatione illum impediendi: nisi forte ommissio per modum mediæ ad hunc effectum ordinaretur.

Prob. 1. a priori: Effectus sequens, seu concomitans omissionem, seclusa obligatione illum impediendi, neque physice, neque moraliter procedit a voluntate. Non physice, quia voluntas praecise omittens nullum habet influxum physicum in huius effectus existentiam; neque ommissio, cum sit non ens, potest illum physice causare. Non moraliter, quia non est ratio, cur effectus, in quem nullo modo voluntas physice influit, in ipsam refundatur ut in causam, nisi quia potuit, & debuit impedire. Hoc ipso autem quo potest, & debet impedire huiusmodi effectum, effectus incipit pertinere ad ipsam, & est illi debita cura illum impediendi, unde ommissio impediendi reputatur pro volitione effectus, quia nemo praesumitur nolle implere suum debitum, nisi magis velit oppositum: ergo, seclusa obligatione impediendi effectum secutum ex omissione, iste effectus non est voluntarius. Confirmatur ex discrimine, quod est inter ipsam omissionem, & effectum illum sequentem aut comitantem respective ad voluntatem. Ommissio per se immediatè, nulla alia causa interveniente, pendet a voluntate; voluntas enim aequè immediatè potest non velle ac velle: unde, ut non volitio seu ommissio volendi sit voluntaria indirectè, non indiget alia causa, sed dumtaxat advertentia, & suspensione influxus modo vitali, quod praestat efficiendo alterum actum incompossibilem cum actu, qui omittitur; tunc enim ommissio procedit indirectè a principio intrinseco cum cognitione finis. At verò effectus omissionem sequens, aut concomitans, non est per se immediatè a voluntate, sed mediante alia causa interveniente: sic, v. gr. dum omitto separare duos rixantes, occisio inde secuta neque a mea voluntate, neque a mea omissione causatur, sed a gladio occisoris: item, quando nauta omittit gubernare navim, neque ejus voluntas, neque ejus ommissio submergit navim, sed tempestas: Ut ergo talis effectus refundatur in voluntatem ut in causam, & dedicatur interpretatè voluntarius, debet assignari aliquid, quo fit, ut pertineat aliquo modo ad voluntatem, & aliquam connexionem habeat cum illa; & aliud assignari non potest nisi praecoceptum illum effectum impediendi, ut dixi in 1. probatione.

Prob. 2. A posteriori: Dantur effectus sequentes aut comitantes omissionem voluntariam, qui nullo modo sunt voluntarii defectu obligationis illos impediendi. Sic Deus omittit voluntariè impedire peccata hominum, & tamen peccata non sunt illi voluntaria, quia non tenetur illa impedire. Imò ex actibus positivis plenè voluntariis sequuntur plures effectus, qui non sunt voluntarii defectu obligationis illos impediendi: sic peccatum lascivi adolescentis non est voluntarium puellae formosae, & decenter ornatae: Usura non est voluntaria petenti mutuum ab usurario, urgente necessitate: Sacrilegium mali Pastoris non est voluntarium petenti Sacramenta, dum urget necessitas, & nullus alius minister adest: Mors concupiscentiae, secuti ex auditione confessionum, vel ex curatione infirmi non sunt voluntarii Confessario vel Chirurgo; & alia sexcenta: quia hi omnes non tenentur hos effectus impedire, sed habent justam rationem ponendi causam per accidens, & eos negligendi: ergo a fortiori effectus per accidens sequentes aut comitantes omissionem.

Dixi in conclusione: nisi forte ommissio per modum mediæ ordinaretur ad hunc effectum: quia tunc manifestum est, quod talis effectus esset directè intentus, & volitus, consequenter positivè, & directè voluntarius: ut si quis eo fine, ut patiat frigus mortificationis ergo, omittat accedere ad ignem, frigus est ipsi positivè voluntarium, quia per se intentum, & volitum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. contra 1. conclusionem. S. Thom. hic art. 3. dicit: *Quia igitur voluntas volendo, & agendo potest impedire hoc, quod est non velle, & non agere, & aliquando debet; ideo non velle, & non agere imputatur ei quasi ab illa existens*: ergo juxta S. Thom. ommissio sine praecocepto non est voluntaria. R. S. Thom. loqui de omissione, quae sit similis voluntariae, & culpabilis; quod patet, non solum quia utitur vocabulo *imputatur*, sed praesertim quia S. Doct. in hoc Artic. nihil aliud intendit, quam probare, posse dari voluntarium sine omni actu, qui sit constitutivus essentialis illius: hoc autem probat argumentum a majori ad minus: sic datur ommissio culpabilis sine omni actu, ut quando quis potest, & debet agere, & non agit: ergo a fortiori datur voluntaria sine omni actu. Nunquam autem negavit S. Thom. omissionem posse esse voluntariam sine praecocepto.

Obj. 2. Ommissio, v. gr. Missae, non est voluntaria, nisi habeat rationem privationis, quia ommissio negativa erat jam in voluntate, antequam vellet aut nollet, & non instante tem-

portet Missæ; atqui secluso præcepto omissio Missæ non habet rationem privationis, sed mere negationis; ergo. Prob. Min. Privatio est carentia forme debite subjecto; atqui secluso præcepto non est debitum audiendi Missam: ergo. Et hoc est, ut dixi, præcipuum fundamentum Gonet. R. cum Contensonio, N. Min. ad Prob. D. Min. secluso præcepto non est debitum audiendi Missam legale, & morale, seu obligationis, C. Min. non est debitum physicum, & naturale, seu dispositionis, & exigentia, N. Min. Duplex itaque debet distinguere debitum, unum morale, & obligationis vi legis obligantis, alterum naturale vi dispositionis exigentis: & huic duplici debito respondet duplex privatio; una est carentia actus debiti vi præcepti, & carentia actus debiti vi dispositionis ad illum. Quamvis ergo opus, v. g. auditio Missæ die feriati non sit debita vi præcepti, tamen posita advertentia, & dictamine proponente præcepti Missam hic, & nunc celebrandam, Missa est debita debito naturali, seu exigentia, & dispositionis; negari enim non potest, quin cogitatio, & dictamen de aliquo actu sit dispositio ad illum, cum initium cuiusvis operis sit cogitatio de illo. Quando ergo homo respuit hoc dictamen, & per hoc prudens, & sciens se convertit ad actum impossibilem cum auditione Missæ, non solum negativè, sed privativè se habet ad illam, & eam voluntariè omittit: sicut, v. gr. dum materia est disposita ad aliquam formam, forma est illi debita, & si non obstante hac dispositione alia introducat, dicitur ea privari. Hanc distinctionem conatus est impugnare Gonet in suo Manuali: sed nihil aliud sua responsione probat, quam quod auditio Missæ in causa non sit debita debito legali, & obligationis, quod est verum; non autem, quod non sit debita debito naturali, & exigentia. Et hinc solvitur aliud argumentum ejusdem Gonet, quod proponit ab absurdo sic:

Inst. Si opus, v. g. studium, quod exercetur tempore Missæ, sufficeret, ut omissio Missæ refundetur in voluntatem ut in causam, eamque efficeret voluntariam indirectè, pariter efficeret voluntarias indirectè omissiones omnium actuum impossibilium cum studio, puta, furandi, fornicandi, ludendi, & aliorum ferè innumerorum, sique omnes illæ omissiones forent meritoria, quod est maximum absurdum: ergo. Patet Sequela; quia, si præceptum non est necessarium, non est major ratio, cur omissio Missæ sit voluntaria, quam alia. R. N. Sequelam, & ejus probationem. Quia ad omnes alios actus non est advertentia, & dictamen illos proponens voluntati ut hic, & nunc agendos, sicut est ad auditionem Missæ hic, & nunc celebrandæ. Voluntarium autem etiam indirectum non est sine cognitione finis.

Repones cum eodem. Illa advertentia præcedens est æquè ad actum, & omissionem: ergo non potest, secluso præcepto, ipsam omissionem in voluntatem refundere tanquam in causam, eamque efficeret voluntariam actu, sed tantum in potentia, quatenus voluntas potest eam, vel actum ipsi oppositum eligere. R. D. Conseq. ergo non potest secluso præcepto ipsam omissionem efficeret voluntariam actu, si in sola advertentia sistat, & non se determinet ad actum impossibilem cum actu omissio, C. Si, posita advertentia actus, prudens, & sciens se determinet ad oppositum, N. Tunc enim habetur in omissione totum, quod requiritur ad indirectum voluntarium actu, nempe quod procedat a principio intrinseco cum cognitione finis.

Urgebis cum eodem: Omissio, v. g. Missæ, secluso præcepto illam audiendi, non est bona, neque mala in exercitio: ergo neque voluntaria. Patet Conseq. quia omne voluntarium liberum secundum Thomistas est bonum vel malum in exercitio. Prob. Ant. Si omissio Missæ fiat intuitu minoris boni v. gr. ludis, non est bona, neque etiam mala, quia non est contra præceptum: ergo. R. N. Ant. Est enim Missa die profesto secundum speciem sit indifferens hoc sensu, quod neque sit præcepta, neque prohibita, ejus tamen auditio vel omissio in individuo erit bona vel mala, quia fiet vel non fiet ex recto fine, & cum debitis circumstantiis. Sic, licet ambulatio ex se & secundum speciem sit indifferens, in individuo tamen erit bona, si bono fine, & cum debitis circumstantiis fiat; secus, erit mala; quia lex naturalis jubet hominem in omnibus operibus suis deliberatè agere ex recto fine, & cum debitis circumstantiis; quæ si adsint, opus est bonum, si desint, malum, ut dicemus alibi. Cum ergo dicitur, omissionem Missæ in die feriati non esse malum, quia non est contra præceptum, verum est quidem quod non sit præceptum de audienda Missa secundum speciem; at præceptum naturale est, quod, si audiatur, vel omittatur in individuo, auditio vel omissio bene fiat, id est, ex recto fine, & cum debitis circumstantiis, quod reperi debet in omissione voluntaria indirectè ex actu, ad quem sequitur. Unde in casu, si ludus bene fiat, id est, ex recto fine, & cum debitis circumstantiis, omissio Missæ erit bona, si male, erit mala.

Obj. 2. contra 2. conclusionem: Ex dictis in prima conclusione omissio est voluntaria indirectè sine obligatione faciendi opus, quod omittitur: ergo similiter effectus sequens, aut concomitans omissionem. R. N. C. Disparitas est, quod omissio per se immediate sit voluntaria; effectus autem sequens, non nisi mediante alia causa extrinseca, ut ostendimus in Confirmatione 2. conclusionis, ubi fusionem hujus disparitatis explicationem habes.

Inst. Omissio voluntaria indirectè non procedit etiam immediate a voluntate, sed mediante actu impossibili cum illo, qui omittitur: ergo stat paritas. R. D. A. Omissio voluntaria indirectè procedit a voluntate mediante actu impossibili, qui actus sit ipsius voluntatis, C. Qui actus sit alterius potentia, seu causa extrinseca, N. Effectus autem sequens omissionem procedit mediante alia causa, seu potentia extrinseca. Unde est disparitas.

Subsumes; atqui sunt quandoque effectus sequentes aut comitantes omissionem absque interventu alterius cause extrinseca, v. gr. ex eo, quod quis omittit exire domo, sequitur, nulla alia interveniente causa, quod non audiat Sacrum, quod non alloquatur amicum in Templo existentem, quod non succurrat pauperi in via, & similia; ergo saltem illi effectus erunt voluntarii sine præcepto. R. C. torum: sed illi effectus negativè nihil aliud sunt, quam omissiones, quæ moraliter loquendo non ponunt in numero cum prima omissione. Quamvis enim non exire domo, non ingredi templum, non invisere amicum sint omissiones physicè distinctæ propter diversas formas negatas: moraliter tamen, & in ratione voluntariè censentur una & eadem omissio, quia una aliam involvit, nulla alia interveniente causa præter voluntatem: nostra autem Conclusio est de effectibus positivis ab ipsa omissione distinctis, & ab alia causa, quam a voluntate, pendentibus.

Urgebis: Qui omittit manducare, aut se calefacere, censetur velle famem vel frigus; atqui famem vel frigus sunt effectus positivi: ergo. R. D. M. Qui omittit manducare, aut se calefacere, censetur velle famem aut frigus, si per illam omissionem tanquam per medium intendat famem aut frigus causa mortificationis, aut ex alio motivo, C. M. Et hoc est, quod dixi in clausula Conclusionis. Si omittit manducare, aut se calefacere, non quia per hanc omissionem intendat famem aut frigus, sed quia se offert opus impossibile cum manducatione aut calefactione, quam illi postponit, N. M. Tunc enim frigus aut famem non est ipsi voluntaria, sed ingrata, & acerba; neque ab ipsa voluntate causatur, sed ab alia causa, famem ab acidis in stomacho, frigus ab aëris impetie.

Repones: Dum sine obligatione impedio, v. gr. duellantes, non existentia duelli, & mortis alterutrum est mihi voluntaria: ergo, quando non impedio sine obligatione impediendi, existentia duelli, & mortis est mihi voluntaria. R. N. C. Disparitas est, quod, dum impedio duellantes, non existentia duelli, & mortis est a meo conatu, & voluntate, illam enim directè intendo, & ideo impedio. At, dum omitto impediendum, existentia duelli, & mortis non est a mea omissione nec a mea voluntate sed ab aliis causis, duellum a congressu amborum, mors a gladio victoris; neque, ut suppono, per meam omissionem illa directè intendo. Unde requiritur aliud, nempe præceptum, ut illi effectus mihi dicantur voluntarii.

Insistes. Præceptum est quid extrinsecum respectu effectus secuti ad omissionem, sicut respectu ipsius omissionis. Ergo, si ante præceptum ille effectus non sit a principio intrinseco, nec ideo voluntarius, neque talis erit post præceptum. R. D. Ant. Præceptum est quid extrinsecum physicè respectu effectus, C. Moraliter, N. Est enim moraliter intrinsecum, quatenus in intellectu dictamine, & in voluntate relinquit obligationem, & debitum. Et si dicas, quod respectu omissionis sit etiam sic moraliter intrinsecum, Esto; sed disparitas est, quod omissio non indiget isto moraliter intrinseco, & physicè extrinseco, ut sit voluntaria, quia est per se immediate a voluntate, cujus potestas est æquè immediate ad non agere, sicut ad agere, & quæ potestas reduciatur ad actum, vel directè, dum voluntas vult explicitè non agere seu omittere, vel indirectè, dum advertentè ponit actum impossibilem cum illo, qui omittitur; hoc enim posito, omissio immediate procedit a voluntate independentè a quocumque alio, & quodam sensu physicè, eo scilicet modo, quo non ens potest physicè procedere. At vero effectus neque immediate per se, neque ullo modo physicè procedit a voluntate, sed mediante alia causa extranea, ut dictum est; unde non est voluntarius nisi moraliter, & interpretativè, & ad hujusmodi voluntarium sufficit principium moraliter intrinsecum: est autem, ut dixi, præceptum moraliter intrinsecum, in quantum ponit in homine debitum, & obligationem impediendi effectum; ita ut, dum homo, se sentiens obligatum impediendum, & non impedit, effectus sequens omissionem ejus censetur secundum asti-

mationem procedere ab ejus voluntate, non quidem influente, sed debente influere, id est, impedire, & sic est voluntarius moraliter, & interpretativè; quia, qui potest, & debet impedire effectum, & non impedit, prudenti hominum judicio censetur eum velle, cum nemo, ut jam dixi, præsumatur velle non implere suum debitum, nisi magis velit oppositum. Uno verbo, effectus sequens, ut sit voluntarius, indiget debito, & influentia morali, quia non est per se immediate a voluntate; omissio autem, ut sit voluntaria his non indiget, quia est per se immediate a voluntate.

Ex dictis hinc & inde in præsentis art. plura colligere poteris pro praxi: nempe, effectus sequentes aut comitantes omissionem esse nobis voluntarios, & imputabiles, quando tenemur non ponere, vel amovere causam; secus, non esse nobis voluntarios, nec imputabiles. Regulariter autem tenemur non ponere vel amovere causam mali effectus; & illum impedire quando commode, & sine nostro vel alterius damno possumus. Quale vero damnum requiritur, ut ab hac obligatione eximamur? Vide, quæ dixi art. 1. hujus Dissert. & aliis locis ibid. cit.

ARTICULUS V.

Utrum violentia possit inferri voluntati?

Quamvis hæc quatuor, violentum, coactum necessarium, & involuntarium, non raro confunduntur, differunt tamen secundum diversas formalitates. Necessarium dicit determinationem ad unum sine potentia ad oppositum: sic lapis descendit necessario in centrum; sic brutum necessario appetit cibum. Violentum addit supra necessarium, quod sit a principio extrinseco passo non conferente vim; quod non debet sumi negativè, sed positivè, id est, passo ramiente: alioquin justificatio infantis per baptismum foret violenta. Coactum coincidit cum violento, nisi quod coactum dicitur tantum de cognoscitibus; violentum autem dicitur etiam de non cognoscitibus: sic lapis sursum motus dicitur violentari, non cogit; e contra brutum vel homo, contra inclinationem corporalis motus, dicitur cogi. Tandem involuntarium dicitur, quod non est vel a principio intrinseco, vel cum cognitione finis.

Duplex autem distinguitur actus voluntatis. (Hic art. 4. a.) Unus, qui est voluntatis immediate, & ab ipsa elicitus, scilicet velle: alius a voluntate imperatus, & mediante alia potentia exercitus, ut ambulare, loqui, &c. Dico: Violentia non potest inferri voluntati quoad actus elicitos; bene tamen, quoad actus imperatos. (Ibid.) Prob. 1. pars. Actus a voluntate elicitus nihil est aliud, quam inclinatio quedam procedens ab interiori principio cognoscere, sicut appetitus naturalis est quedam inclinatio ab interiori principio non cognoscere; atqui coactum seu violentum est ab exteriori principio: ergo contra rationem ipsius actus a voluntate eliciti est, quod sit coactum, seu violentum. (Ibid.) Confirmatur: Violentum est ita a principio extrinseco, quod sit contra inclinationem passi; atqui implicat actum voluntatis elicitem esse contra ejus inclinationem, cum ille actus elicitus sit ipsius voluntatis inclinatio in suum objectum: sic amor v. gr. nihil est aliud, quam inclinatio voluntatis in bonum: ergo. Merito itaque dixit S. Anselmus de lib. arbit. c. 6. *Invidio nemo potest velle aliquid, quia non potest velle volens velle.*

Prob. 2. pars Conclusionis. Possunt membra, seu potentia exteriores ab extrinseco vi moveri aut impedi contra imperium voluntatis, ut si v. gr. voluntas vellet videre, posset quis vi claudere oculos; & si nollet videre, posset vi aperire oculos: & sic de cæteris: ergo. (Ibid.) Si dicas, hos motus, puta visionem, fore tunc a principio intrinseco, scilicet potentia viva, secundum ejus inclinationem, esset enim actus vitalis: ergo voluntarius: R. fore quidem a principio intrinseco partiali, non communi totius suppositi: similiter, esset secundum inclinationem particularem hujus principii, seu potentia viva, non secundum inclinationem communem totius suppositi, quod principium commune, & quæ inclinatio communis est voluntas, de qua hic est questio. Si inferas: ergo non erit actus imperatus a voluntate, cum tamen conclusio sit de actibus imperatis a voluntate: R. D. Non erit actus a voluntate imperatus actu, C. In potentia, N. Conclusio autem est de actibus imperatis actu vel potentia, quatenus qui sunt imperati actu, possunt per violentiam externam impedi, ne fiant; & qui sunt ex genere suo imperabiles, possunt nolente, & renitente voluntate fieri vi agentis externi; si enim hi essent actu imperati, jam essent secundum inclinationem voluntatis, consequenter non violenti.

Obj. contra 1. partem Conclusionis. Unumquodque cogi potest a potentiori; atqui aliquid est humana voluntate po-

tentius: ergo. R. D. M. Unumquodque cogi potest a potentiori ad id, quod neque coactioni, neque rei cogendæ repugnat, C. Si repugnat, N. Sic lapis non potest cogi a Deo, ut intelligat, quia id repugnat naturæ lapidis; non minus autem repugnat actum a voluntate elici, & tamen voluntatem ad eum elicendum cogi, ut patet ex probationibus conclusionis. (Ibid. ad 1.)

Inst. Voluntati inclinatur ad aliquid, v. gr. ad amorem Dei in Patria, Deus potest denegare suum concursum; atqui tunc cessatio, seu interruptio amoris erit violenta, nimirum contra inclinationem voluntatis: ergo non repugnat violentiam inferri voluntati quoad actus elicitos. R. 1. data Min. N. C. Tunc enim non inferretur violentia voluntati positivè, & propriè quoad actus elicitos, cum tunc nullus eliceretur, sed negativè, & improprie quoad cessationem ab actu. Conclusio autem, ut patet ex probationibus, est de actibus elicitis, & non elicendis, vel cessatione ab illis. Sed intelligendo generaliter Conclusionem de actibus elicitis, & cessatione ab illis. R. 2. N. M. Scilicet in hac hypothesi cessationem ab amore fore violentam, & contra inclinationem presentem voluntatis: quia, sicut naturale est, & non violentum, causæ secundæ agere stante influxu causæ primæ; ita naturale est ipsi, & non violentum non agere abstracto influxu causæ primæ, quia naturale est instrumentum cessare ab actione non movente causa principali; quæ de causa non fuit violentum, sed naturale, igni, non comburere in fornace Babylonica. Unde in hac hypothesi voluntas naturaliter quiesceret, sicut aër naturaliter cessat a luce, cessante luminoso.

Repones: Potest Deus in voluntate Petri, Joannem odio habentis, producere amorem Joannis; atqui iste amor foret violentus, utpote omnino contra inclinationem Petri: ergo. R. Quod in hac hypothesi, vel mutaretur inclinatio Petri, vel iste amor non esset actus ab ejus voluntate elicitus, sed ad eum passivè tantum se haberet; sique casus est extra Conclusionem.

Replicabis: Peccatum est contra inclinationem, saltem habitualem, hominis; atqui hoc sufficit ad violentum; si enim homo dormiens projiceretur per fenestram, fieret ipsi violentia: ergo actus elicitus potest esse violentus. R. D. Maj. (Ibid. ad 3.) Peccatum est contra inclinationem partialem hominis, C. est enim contra inclinationem, quam habet homo ad bonum honestum. Est contra inclinationem ad æquatum, quæ est ad bonum in communi, N. Nam & peccatum vult homo sub ratione boni, sique est secundum ejus inclinationem, adeoque non violentum.

ARTICULUS VI.

Utrum violentia causet involuntarium?

Nota 2. quod, cum ad voluntarium duo requirantur, scilicet, quod sit a principio intrinseco, seu inclinatione agentis, & cum cognitione finis, defectu alterutrum desinit voluntarium, & fit involuntarium, vel positivè, & contrariè, si desit prima conditio; vel negativè, seu non voluntarium, si desit secunda conditio tantum. Assignantur communiter quatuor cause involuntarii, violentia, metus, concupiscentia, & ignorantia. Sed

Nota 2. semel pro semper, quod, dum dicitur sive violentiam, sive metum, sive concupiscentiam, sive ignorantiam causare involuntarium, non sit sensus, quod violentia, metus, concupiscentia, aut ignorantia, physicè influant in actum voluntatis ipsam, ut ita dicam, involuntarietatem, sed quod vel physicè, vel moraliter moveant ad actum, qui vel simpliciter, vel secundum quid contrariatur inclinationi voluntatis. Unde illa involuntarietas causatur ab amore alicujus boni oppositi. Sic v. gr. dum quis metu naufragii movetur ad projiciendas merces, ista projectio est involuntaria secundum quid, quia repugnat effectui, quem projiciens habet conservandi suas merces: unde involuntarium, & quod reperitur in ista projectione, non causatur a metu, sed ab amore meritis. Proprius ergo sensus harum Quæstionum est, quod actus ex violentia, metu, concupiscentia, & ignorantia sint involuntarii simpliciter vel secundum quid, in quantum supponunt in agente inclinationem simpliciter, vel secundum quid contrariam præsentis actui, ad quem movent.

Quamvis, ut dixi art. præced. violentia inferri non possit voluntati quoad actus elicitos, & quantum est ex illa parte, violentia non possit causare involuntarium: quia tamen voluntarium dicitur, non solum de actibus elicitis, sed etiam de imperatis, qui possunt pati violentiam, de illis quærimus, utrum violentia reddat involuntarios. (Hic art. 5. ad 1.) Pro quo.

Dico: Violentia causat involuntarium simpliciter, seu actus ex violentia factus est involuntarius simpliciter, (Ibid.) Intelligi conclusionem de violentia absoluta, quam quis adhi-

bito omni legitimo conatu superare non potest, non de violentia secundum quid, quam quis vincere possit, et resistere quantum moraliter potest.

Prob. Conclusio. Voluntarium est a principio intrinseco, & consequenter secundum inclinationem: violentum est a principio extrinseco, & contra inclinationem passi; definitivum enim id, quod est a principio extrinseco passo renitente: ergo, quod est violentum, non est voluntarium. (*Ibid.*)

Dices violentum compatitur voluntarium: ergo. Prob. Ant. multis exemplis. 1. Martyres passi sunt violentiam a Tyrannis, & Tormentoribus; atqui tamen erant voluntarii in patiendis: ergo. 2. Qui minis, & tormentis compellitur adolere thure idola, renitente interiori voluntate, violentiam patitur, & tamen voluntarie adolet, peccat enim adolendo. Idem dic de puella, quae interiori reluctans, minis, & verberibus adigitur consentire exterius stupratori. 3. Qui vi coactus recipit Baptismum, valide recipit: ergo voluntarie. Prob. A. c. de *Judeis* Dist. 45. ex Conc. Tol. IV. declaratur, eos, qui regnante Sisebuto in Hispaniis coacti fuerant recipere Baptismum, illum valide recepisse, & cogi posse ad servandam fidem, quam sic susceperant ergo. 4. Dum aliquis inflectit aut contorquet membra propria contra naturalem eorum flexibilitatem, est ibi voluntarium similitudine, & violentum: ergo.

R. N. A. ad 1. prob. D. Maj. Martyres passi sunt violentiam absolutam, N. Maj. Poterant enim, si voluissent, illam vincere, & vitare mortem, negando fidem; sed maluerunt pati mortem, quam negare fidem. Erant ergo involuntarii respectu actionis impie Tyrannorum, sed illa supposita voluntarii erant in subeunda morte propter Deum, neque in violentiam passi sunt, ut jam notavi Diss. 6. de Jure, & Just. art. 2. Ad 2. prob. R. similiter, qui minis, & tormentis adactus adolet thure idola, quamvis reluctante interiori animo, non pati violentiam absolutam, & physicam, sed moralem tantum, & secundum quid, quia non resistit quantum potest, & debet resistere, sicque non obstante voluntate interiori contraria, voluntarie consentit actui Idololatriae. Aliud esset, si manus thuribulo alligata vi invincibili moveretur versus Idolum. Idem dic de puella: quae stupratori non resistit quantum potest. Ad 3. R. quod si, qui minis, & tormentis adacti suscipiunt exterius Baptismum, manente semper contraria, & renitente voluntate, illum valide non suscipiunt: sed, qui minis, & tormentis adacti eo adducuntur, ut ad illa tormenta vitanda deponant priorem voluntatem, & induant aliam veram, & sinceram suscipiendi baptismum, illum valide suscipiunt, quia voluntarie: metu enim, ut modo dicam, causat voluntarium simpliciter, & ad servandam fidem sic susceptam cogi possunt. De his autem intelligendum est c. cit. de *Judeis*. Ad 4. D. A. Est ibi violentum, & voluntarium respectu diversorum, C. Respectu ejusdem, N. Respectu inclinationis particularis membri est violentum; respectu vero ipsius voluntatis est voluntarium: unde non est in violentia simpliciter, sed secundum quid. (*Ibid.* ad 3.)

Ex dictis in hoc art. colligunt communiter Auctores, mutueram vi oppressam a viro, cui, & interiori, & exteriori resistit quantum moraliter potest, nullatenus peccare; quia haec violentia perimit omnino voluntarium, sine quo non est peccatum. Si autem querat, quid, & quantum facere debeat mulier, ut censeatur resistere, quantum potest moraliter, sicque pati violentiam absolutam, & simpliciter dictam? R. In primis non posse occidere oppressorem, quia, ut dixi de Jure, & Just. Diss. 10. art. 6. §. 2. pudicitia est bonum inferioris ordinis ad vitam hominis. Foret autem resistere clamoribus, pugnis, alapis, lesione oppressoris, non tamen lethali, & similibus; atque ad haec tenetur, citra tamen periculum propriae vitae, & famae; quia, si subsit hujusmodi periculum, & aliunde absit periculum interioris consensu libidini, non tenetur cum tanto detrimento bonorum superiorum resistere exteriori; quia resistere exteriori est praecipuum affirmativum, quod non obligat pro semper, & cum tanto dispendio. Dixi: modo absit periculum consensu interioris libidini; quod cum raro absit, etiam raro non tenetur haec adhibere cum periculo vitae aut famae, ut jam alibi notavi de Temper. Diss. 6. art. 16. in fine consecrationum, & ibid. art. 4. de Raptu §. 1. in fine.

ARTICULUS VII.

Utrum Metus causet involuntarium?

Revoca in mentem ex dictis initio art. praec. sensum Questionis esse, utrum actus factus ex metu sit involuntarius. Item observa, questionem esse de actu facto ex metu, & non solum cum metu; aliud enim est aliquid fieri ex metu, aliud fieri cum metu. Sic Mercator altum mare conscendit cum metu, sed non ex metu; orta autem tempestate proci dit mercem in mare ex metu. Porro, metus, ut dixi de Con-

tract. definitur ex Jure, futuri, & instantis periculi causa mentis irrepudatio, id est, inquietudo, & perturbatio. Alius est gravis, alius levis. Gravis, alius absolute gravis, quo nempe timetur malum grave, & imminens, ut mors, exilium, durus carcer, &c. dicitur cadens in virum constantem, id est, quo viri aliunde constantes passim moventur, licet quandoque moveri non deberent; nemo enim quovis metu debet moveri, v. gr. ad pejerandum. Alius respectu gravis, quo, licet non moveretur vir constans, moveretur tamen meticulosus, ut puer, femina, senex. Levis est, quando timetur leve malum, aut grave quidem, sed non imminens, ut si sereno Coelo, vel stringente gelu timeas fulmen. Ad metum absolute gravem revocatur metus reverentialis, quo quis sibi timet superiores graviter intensos, & imitantis. Quod si absint minae, & gravis indignatio, potest dici levis: nisi forte respectu ad filiasfamilias, quibus est genium meticulosum.

Dico 1. Quae sunt ex metu, sunt mixta ex voluntario, & involuntario. (*Hic art. 6. o.*) Intellige de metu, qui sit causa totalis actus, qui ponitur, alias nullatenus erit involuntarius: sic, qui minatur mortem meretrici, nisi consentiat fornicationi, quam ipsamet appetit, iste consensus nihil habet involuntarii, quia ille metus non est causa totalis illius, cum mulier ad id jam sit ex se propensa.

Prob. Conclusio. (*Ibid.*) Ea, quae sunt ex metu, secundum se considerata, non sunt voluntaria, imo sic sunt involuntaria, sunt autem voluntaria, & volita ex metu ad vitandum scilicet malum, quod timetur. Hoc totum patet in vulgari exemplo. Mercator considerando mercem secundum se, seculo periculo naufragii, nollet eas projicere; orta autem tempestate, & instante periculo mortis vult eas projicere: ergo. Confirmatur. In objecto actus, qui fit ex metu, reperitur ratio boni, & mali sufficiens ad causandum volitionem, & nolitionem, quae sunt principia voluntarii, & involuntarii; sic in eodem exemplo, projectio mercium secundum se est mala, considerata ut medium ad salvandam vitam est bona: ergo.

Dico 2. Quae sunt ex metu, sunt voluntaria simpliciter, & involuntaria secundum quid. (*Ibid.*) Prob. (*Ibid.*) Illud, quod est voluntarium hic, & nunc, ponderatis omnibus circumstantiis, & involuntarium tantum secundum se consideratur, & praecisum ab hic, & nunc, seu a circumstantiis individuantibus, est voluntarium simpliciter, & involuntarium secundum quid; atqui, quod fit ex metu, est voluntarium hic, & nunc attentis omnibus circumstantiis, & involuntarium tantum secundum se consideratur, & praecisum a circumstantiis: ergo. Min. patet in projectione mercium in mare metu naufragii. Maj. etiam patet, tum ratione generali, quia illud dicitur esse simpliciter, quod est actu, seu quod est hic, & nunc cum omnibus circumstantiis individuantibus; illud autem dicitur esse secundum quid, quod est in apprehensione tantum. Tum ratione particulari, quia illud est discrimin inter intellectum, & voluntatem; quod intellectus attingit res secundum se praecisus ab existentia, voluntas autem feratur in res ut existentes vestitas suis circumstantiis: ergo, quod est voluntarium hic, & nunc attentis omnibus circumstantiis, & involuntarium tantum secundum se, & sub praecisione a circumstantiis, est voluntarium simpliciter, & involuntarium secundum quid.

Confirmatur: Quod fit ex metu, est volitum absolute, & efficaciter, & nolitum inefficaciter, & conditionate tantum: sic Mercator ingruente tempestate vult absolute, & efficaciter projicere mercem, quas nollet projicere, si abesset tempestat; atqui, quod est volitum absolute, & efficaciter, nolitum inefficaciter, & conditionate tantum, est voluntarium simpliciter, & involuntarium secundum quid: ergo. Quando ergo S. Thom. 2. 2. q. 142. art. 3. scribit, ea, quae sunt ex metu, non esse simpliciter voluntaria, sed mixta, sumit simpliciter pro eo, quod idem est ac *purè, omninò, ex omni parte*, & prout opponitur mixto, ut patet ex terminis. Hic autem sumit simpliciter pro eo, quod est actu in re.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. contra 1. Conclusionem. Quando quis metu inferni dolet de peccatis, aut observat legem, iste dolor, & ista observantia nihil habent involuntarii, & displicentiae; alias forent mala, quod admitti non potest, & videtur contrarium Trid. Sess. 14. c. 4. ergo, quae sunt ex metu, non sunt involuntaria secundum quid.

Huic argumento, quo non parum torquentur multi Theologi, variè variè respondent. Quidam dicunt, quod, licet in dolore de peccatis, vel in observantia legis ex metu gehennae sit aliquid involuntarii, & displicentiae, si tamen haec displicentia seu repugnantia sit solum circa difficultatem, & id quod molestum est in dolore, seu observantia legis, hoc non sit malum, sed materia meritum, ut patet in tristitia, & dolore, quam

quem habuit Christus instante passione. Sed contra: Quamvis repugnantia & displicentia appetitus sensitivi circa difficultatem legis, qualis fuit in Christo, non sit mala, sed conducatur ad virtutem, secus tamen repugnantia & displicentia voluntatis, de qua hic agitur. Undè argumentum remanet in suo robore.

Respondent multi, ea, quae sunt ex metu, esse dumtaxat involuntaria secundum quid, quando opus seu objectum, ad quod movet metus, est secundum se malum, & tantum eligitur ut bonum utile ad vitandam majus malum, ut patet in projectione mercium metu mortis. Quando autem, inquit, opus, ad quod movet metus, non est secundum se malum, sed bonum, non solum utile, sed honestum, ut est dolor de peccatis, seu observantia legis, nullatenus est involuntarium: idque probant exemplis. Sic, inquit, si quis diceret Petro: nisi cito ambules, aut bibas hunc scyphum vini, morieris, ista ambulatio seu haustus vini nihil haberet involuntarii, supposito, quod Petrus sit indifferens aut propensus ad ambulandum, vel bibendum. Verum haec solutio, nisi aliquid addatur, est insufficientis. Et t. ipso suo exemplo perimitur: supponit namque, peccatorem esse indifferenter aut etiam propensum, ad deserendum peccatum secundum se, seu ad observantiam legis, sicut supponit Petrus esse indifferenter aut propensum ad ambulandum aut bibendum, cum e contra supponi debeat peccatorem ante metum habere affectum ad peccatum, illudque deserere tantum metu gehennae: alioquin metus non foret totalis causa hujus doloris, quod est extra hypothesis. 2. Homo potator, qui ex nimio potu incidit in morbum, eligi metu mortis abstinentiam moderatam a potu. Ista abstinentia est secundum se bona, non solum utilis ad vitandam mortem, sed honesta, & tamen homini potatori involuntaria secundum quid. Confer nunc peccatorem, maxime inveteratum, cum isto potatore, utrinque par invenies involuntarium, quia utrinque est par affectus; hujus ad potum, illius ad peccatum, nisi aliquid amplius addas: Igitur.

R. 1. D. Conseq. Ergo, quae sunt ex metu, non sunt involuntaria secundum quid, quando istud involuntarium est fundamentum inductivum mali, quod timetur, C. Quando non est inductivum mali, quod timetur, N. Quando itaque involuntarium est causa, seu fundamentum inductivum mali quod timetur, admitti potest & debet, quod, si metus sit efficax, excludat istud involuntarium erga opus, quod assumitur ad vitandum malum: sicut, si affectus, quem retinet Mercator ad suas merces, seu involuntarium, quod habet ad illarum projectionem, esset causa naufragii, metus naufragii, si esset efficax, induceret ipsum, non tantum ad proficiendas merces, sed etiam ad deponendum affectum ad illas, consequenter ad tollendum involuntarium in earum projectione. Eum ergo affectus, quem retinet peccator ad peccatum, seu involuntarium in eius fuga aut legis observantia, sit inductivum gehennae non minus, quam peccatum exterius, metus gehennae, si sit efficax, debet illum affectum & istud involuntarium tollere.

Hanc solutionem cum risu excipit P. Aurelius Pietre, vocatque *lepida argumentum*; quia, inquit, si sic pergant *Adversarii*, brevi probabunt dari timorem terribilem ita lege justificationem, ac proinde non tantum non necessariam erit *charitas*, sed nec ipsum *Sacramentum erit necessarium, modo ad sit efficax ille timor gehennae*. Idque probat hoc argumentum: Metus efficax gehennae secundum nos excludit omne inductivum gehennae; atqui peccatum habituale & ejus reatus est inductivum gehennae: ergo metus efficax gehennae excludit peccatum habituale, ejus reatum & maculam, quibus exclusis peccator justificatur. Peccat religiosi viri, non attendit hanc solutionem esse doctissimorum Theologorum, inter alios Jo. a S. Thom. & Vincentii Contenson; hi namque neque lepidi, neque nugaces, sed gravissimi sunt ac profundissimi Theologi. Verum forte dicit nonnemo, hanc ipsam R. Patris argumentandi methodum esse lepida & nugacem: dato enim metum gehennae tollere peccatum habituale & ejus reatum, irregulariter inde inferit R. Pater non esse necessariam gratiam, nec necessarium Sacramentum: sicut ex eo, quod charitas tollat peccatum habituale & ejus reatum, irregulariter inde inferret non esse necessariam gratiam, nec necessarium Sacramentum. Sed his omissis,

R. Directè ad ejus argumentum, N. Sequelam. Ad prob. D. Maj. Metus efficax gehennae secundum nos excludit omne inductivum gehennae intra sphaeram suae activitatis, C. extra sphaeram suae activitatis, N. Non intra sphaeram solius timoris, quia ad justificationem necessarii requiritur, quod peccator doleat de peccato, non solum ut est malum proprium, sed ut est malum & offensa Dei, quod est extra sphaeram activitatis solius timoris sine amore Dei benevolens; quia odium

malum alicujus, & amare bonum illius, sunt ejusdem rationis, inquit Auctor 2. 2. q. 25. art. 6. ad 2. Et inde probamus, dolorem ex solo metu sine aliquo Dei amore benevolens non sufficere ad justificationem cum Sacramento. At inducere cessationem seu suspensionem affectus ad peccatum, etiam ut est malum Dei, est intra sphaeram solius timoris absque amore Dei benevolens; quia ex mera indifferentia erga aliquem sine ullo ejus amore possum cessare a voluntate ipsum offendendi, a fortiori, si sciam ipsam voluntatem ipsum offendendi esse mihi nocivam. Hancque Doctrinam non parum juvat condemnatio hujus propositionis 61. inter Quaesnellanas: *Timor nisi manus cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore non ducitur*. Argumenta, quae congerit praetitus Theologus, ut probat metum non posse excludere affectum ad peccatum, seu involuntarium in ejus dolore, peccant ut plurimum in eo, quod non distinguat inter involuntarium, quod est inductivum gehennae, & illud, quod non est inductivum. Caetera, praesertim ab auctoritate, currunt de timore inefficax, vel de displicentia ex parte appetitus sensitivi sed haec omnia accuratius discutere non est hujus loci.

At inferes ex solutionibus datis, nos recedere a D. Thom. Prob. illatio. S. Thom. hic docet absolute & generaliter, ea, quae sunt ex metu, esse mixta ex voluntario & involuntario; atqui nos excipimus ab hac doctrina generali: ergo. Resp. Neg. illationem. Ad Prob. Dist. Maj. S. Thom. docet generaliter, ea, quae sunt ex metu, esse mixta ex voluntario & involuntario loquendo formaliter de metu, quantum est ex vi sua, & prout incutitur a causa extrinseca, C. Maj. Loquendo de metu per accidens & ratione materiae, quando nempe contingit, quod mea voluntas seu involuntarietas est fundamentum & causa poenae, quam timeo, N. Maj. Tunc enim, licet aeterna praecise ratione metus, conservasse affectum ad peccatum, & inde ortam involuntarietatem in eo relinquendo, tamen, quia ipse affectus ad peccatum seu involuntarietas in eo relinquendo est fundamentum & causa justae poenae, quam timeo, ideo per accidens & ratione materiae metus mutat hunc affectum, & tollit hanc involuntarietatem.

R. 2. Ad principale argumentum: Dato, observantiam legis, seu dolorem de peccatis ex solo metu gehennae non excludere omne involuntarium; nego tamen inde sequi, hanc observantiam, seu hunc dolorem esse malum. Ad cuius intelligendam observandum est, quadruplicem actum reperiri in observantia legis, seu dolore de peccatis propter metum gehennae. 1. est amor vitandi gehennae; 2. est electio doloris de peccatis, seu observantiae legis necessariae ad vitandam gehennam; 3. est amor peccati; 4. voluntas conditionata non derelinquendi peccatum, seu observandi legem, si non esset inferens. Et, quamvis quidam hunc actum reperiri negent, eo quod includatur in 3. probabilius est tamen adesse; quia, licet in voluntate vitandi gehennam radicaliter includatur voluntas observandi legem, seu fugiendi peccatum, requiritur tamen praeter eam volitio absoluta actualis observandi legem & fugiendi peccatum; ita, licet in amore peccati radicaliter contineatur voluntas conditionata non servandi legem, nec fugiendi peccatum, si non esset inferens, requiritur tamen, quod ista voluntas conditionata sit actualis. Sed, quidquid sit de hac ultima difficultate, saltem evidenter patet, quod duo primi actus, scilicet amor vitandae gehennae, & dolor de peccatis assumptus ad hunc finem, nullatenus sint mali: quod autem compatiantur adhuc amorem peccati, & voluntatem conditionatam ipsum non deserendi, si non esset inferens, id quidem probat & ostendit subjectum adhuc esse malum, non autem praefatos actus esse malos, cum nullatenus hi priores actus sint causa hujus pravi amoris & pravae voluntatis conditionatae, quin potius, ad illum peccati affectum & voluntatem hanc conditionatam expellendum, disponant & conentur. Sic v. gr. licet fides informis simul compatitur in subjecto peccatum, non tamen inde fit mala, sed tantum inde evincitur subjectum esse malum. Sed haec nunc sufficienter de ista materia, quam diligentius discutere pertinet ad Tract. de Penitentia.

Obj. 2. contra eandem: Duo contradictoria non possunt reperiri simul in eodem actu; atqui esse voluntarium & involuntarium sunt duo contradictoria: ergo, R. N. Min. Quia opus ex metu est voluntarium & involuntarium sub diversa ratione & diverso respectu, & ideo non contradictorie: sic projectio mercium, ut medium necessarium ad vitandum naufragium est voluntaria simpliciter, secundum se considerata est involuntaria secundum quid. Inst. Quod est voluntarium simpliciter excludit omnem rationem involuntarii, sicut quod est aliquid simpliciter excludit omnem rationem nigri: ergo, R. Esse equivocationem in *Tò simpliciter*, ut jam innui supra. Unde D. Ant. Quod est voluntarium simpliciter, id est, ex omni parte & omni modo, excludit omnem involuntarium, C. Ant. Quod